



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epistola Pastoralis Illustrissimi Ac Reverendissimi Domini D. Humberti Guilielmi A Præcipiano, Archiepiscopi Mechliniensis

Precipiano, Humbert Guillaume de

Lovanii, [1692]

Caput XII. De Prudentia in Examine.

urn:nbn:de:hbz:466:1-39186

Illud ipsum Patris nomen amabile licet atque blandum animare Confessarios debet ad constantiam & virile robur, & masculos affectus; muliebrem verò indulgentiam, aut metum excutere pectoribus: ne reprehendenda & castiganda in filiis, ut stultæ matres solent, negligant: ne respectu aliquo humano monere non ausint, quæ monenda sunt; atque ita dum in flagitio connivent, flagitium ipsi admittant.

C A P U T XII.

De Prudentia in Examine.

IN examinandis pœnitentibus ne nimii sint atque curiosi: ne scrutatores rerum quas scire non oportet, interdum etiam est nefas. In complicum nomina non inquirent, ipsos pœnitentes de nomine nosse ne laborent: istiusmodi curiositas pœnitentes à tribunalibus arcet, aliaque innumera secum trahit incommoda. Nescio quid sinistri de Confessariis tam curiosis suspicantur. Hæc cautela maximè adhibenda est, cum de rebus obscænis instituitur quæstio: quæ suprâ Concionatores monuimus, hic quoque attendenda sunt. Contingit enim persæpè, ut ab ipsis Confessariis omnes harum sordium angulos vestigantibus instructiores redeant ad nequitiam. Magna habenda hac in parte ratio personarum, ætatis atque sexûs. Utendum verbis modestis ac verecundiam præ se ferentibus, & soli serviendum necessitati. Limites hic transire non ipsis solum sæpè pœnitentibus, sed & Confessariis periculosum est, qui castitatis thesaurum & ipsi portant in vasis fictilibus.

C A P U T XIII.

De Satisfactione.

IN multis autem pœnitentibus imponendis servent traditam à Sacrosancto Concilio Tridentino § & à plerisque Ritualibus, & à Mechliniensi Synodo II. disertè expressam Regulam, *ut quantum Spiritus & prudentia suggererit pro qualitate criminum, & pœnitentium facultate, salutare & convenientes satisfactiones injungant, quæ non tantum sint ad novæ vitæ custodiam, & infirmitatis medicamentum, sed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam & castigationem.*

Audien.

§ Sess. 14. Cap. 8.